



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici  
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||  
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam  
Decani**

**Krantz, Albert**

**Coloniae, 1574**

Capvt XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11453**

erat à mari commeatus, fameq; laboratū est insigniter. Accessit altera causa belli tum finiendi, quod stipendiarij Slusis cum Philippo de Rauenstein inclusi, tumultuari viderentur, ob nescio quam causam: Sed in hoc genere hominū causam tumultūs querere, superuacuum est, quod ad omnem ventum commouetur. Capiti igitur suo timens Philippus, & iam Brugensibus suis aut prodesse, aut adesse non valēs, vtraq; de re ad pacem inclinabat: Solus ille cū solo de Nassow comite, pacis leges conscripsit. Tum Brugenses, vt stipendia soluerent militibus, argentum quod quisq; domi factū habuit, pro viribus facultatum in commune contulerūt, deficiente numismate: nam omnis exhausta erat pecunia: appensum est in statera in aris debiti aestimationem, & traditū leuissimum est hominū generi, vt abcederet. Ità teriū quoq; bellum est finitū, ciuibus ad magnam calamitatem pene omnibus perductis. Sic eat, quando certa ratione gubernari non passi, tumultuantur: discant malo suo ad tolerabiles redire cōditiones. Flandria sit exēplo vicinis prouincijs.

## CAPVT XIII.

**P**er ea tempora in Brunsvico vrbe Saxonia primaria, immissus est spiritus vertiginis in capita multorum, vt in publicis conuentibus tumultuati ciues, magnam partem consulatūs suo arbitratu destituerent administratione, nouis pro libidine surrogatis: quibus adiecere viros vigintiquatuor ex ciuibus, qui rebus gerendis & capiendis consilijs interessent. Ea res liuores in populo plurimos parturiuit, dum destituti, cum omni sua cognatione aduersarentur ceteris, qui vel gubernacula tenuere, vel suae debonestationi dederint alimentū. Vetus in vrbibus malum, dum quisq; ordinis sui obliuiscitur: nulla adhibetur à præsidentibus modestia: nulla de-  
indd

indè à subditis in longū præstatur patientia. Ità primum odia, deindè iurgia, demùm nascuntur intestina bella: quæ omnes præcipuas vrbes subuerterunt. Quæ res eodem fermè tempore, per annum à Christo octauum & octuagesimum post mille quadringentos, in veteri marchia claruit multorum detrimento. Nam in Stendalia dum malè parerent ciues senatui, efferrunturq; ad disturbandum publicum concilium, iam imminente illis Johanne Brandenburgensi marchione principe electore, qui per districtum omnem axisam, vt appellant, constituit de cereuisia, nec satis illi annueretur à subditis: interueniente turbatione, quam diximus, intestina, cogebantur Maiores inuocare principem. Qui egressus valida armorum manu, tumultuantes repressit, & capita gladio puniuit: instituitque diù recusatam axisam per omnes vrbes Veteris marchia, facili vsus progressu per intestinam ciuum discordiam. Erat per ea tempora impacatum mare, cum Phrisij illi capitanei veterem instituerent quæstum: Specie quidem Hollandinos persequendi, sed re vera, vt compertum erat, qui illis militarent, nullo nauigantium incommodo abstinerunt. Hamburgenses, qui crebra vtuntur nauigatione per littora Phrisiæ, Hollandiæ, Selandiæ, cum incur sationibus vexarentur, iam antè sæpè per literas, aliquandò in conuentionibus cum dictis capitaneis questi, nihil serius experirentur: armauere aliquot impositis stipendiarijs naues, & in mari quærentes, inuenerunt non contemnendam manum gregariorū: Pars iam per littora vaga ferebatur, pars portū in nauibus asseruabat. Cum cerne-ret vr-bici stipendiarij, quod genus hominū reperissent, aggrediuntur vt caperent. Illi capi non passi, cum nihil hostile præse tulissent, se tuentur: Capiuntur tamen, nec atro-